ez. xxv. b.
os. xiiii. b.
luc. xiiii. a.
ex[illegible]
num. xxii. b.
ysa. iii. e.
iac. vi. f.
exturpare
eccl. xlvi. b.
extirpacio
abac. iii. d.
extrare
tob. vi. c.
[illegible]
tre. iiii. b.
extorquere
re. xxiii. f.
extasis
ac. iii. c.
extrahere
re. v. f.
[illegible]
eccl. ix. d.
exultacio
tob. ii. f.
ps. cxviii.
iii. b.

Ezechias
pa. xix. a.
ys. xxxviii. a.
abac. xv. d.
eccl. ii. d. xiiii. b.
heres
ge. xv. ab. xxi.
ps. xxiii.
p. xxx. f.
eccl. ii. f.
ie. ii. a.
ag. xii. b.
iob. ii. b.
ro. iiii. d.
gal. iiii. d. e.
e. iiii. d.
he. vi. f.
pe. iii. b.
[illegible]
num. xxviii. c.
dev. ix. b. xviii. a.
ios. xiii. d.
re. xx. a.
re. xxi. a.
pa. x. f.
tob. vi. xiiii. f.
iob. xx. b. xlii. b.

ez. xxviii. c.
dan. iii. b.
agg. v. d.
iac. x. a.
mal. iii. a.
ag. iiii. c.
he. vi. c.
hedus
ge. xxvii.
xxxviii. d.
iudi. xiii. b.
pa. xxv. b.
tob. ii. b.
p. xxvii. b.
can. i. d.
ie. l. b. li. e.
ez. xxvii. d.
helias
re. xvii. a.
xviii. b.
re. i. a. ii. a.
pa. x. e.
ec. i. b. xlii. a.
eccl. xlviii. a.
mal. iiii. b.
ag. vi. d. viii. e.
iac. v. f.
heliseus
eccl. xlviii. c.

exo. vi. d. ix. e.
heli
num. xxxiii. b.
re. xvi. b.
iob. xxiii. a.
ys. xxi. a.
himon
dev. iii. b.
sap. xvii. b.
herodes
es. ix. f.
ag. xii.
ag. vi. e. viii. e.
ac. iiii. f.
xii. a. d. b.
xiii. a. xxiii. b.
herodianus
ag. iii. b. xii. c.
ag. xv. e.
[illegible]
dev. xxxv. a.
re. ix. b.
helpor
re. xiii. a.
eleazar
re. xxiii. b.

pe. v. e.
fabulator
bar. iii. c.
faba
re. xvii. b.
ez. iiii. c.
facies
num. vi. b.
iudi. vi. d.
re. iii. c.
re. xviii. d.
re. xiiii. d.
est. iiii. e.
to. iii. e. iiii. a.
iob. xi. e. xiii. f.
xv. f. xxx. e.
ps. xxii. xxvi.
xxix. xli.
can. ii. e.
eccl. xiii. b.
xv. e.
ys. xxvi. f.
ie. i. e. e. v. a.
xviii. d. xxx. b.
tre. i. b. iii. b. e. f.
bar. v. b.
ez. iii. a. b. v. a.
viii. b. x. e.
xxiii. xli. a. b.

ez. vii. f. xviii.
ion. i. e.
soph. i. e. iii. e.
iac. i. b. iiii. e.
gal. ii. d. iii. e. v.
fili. ii. e.
col. i. b. iii. b.
he. i. d. ii. a.
viii. e. x. b.
iac. iii. e. iiii. f.
pe. i. e. iii. f.
io. i. e. d.
ac. i. a. iii. e.
vii. b. viii. b.
ap. ii. b.
facere op.
es. iiii. f.
face bonu.
ro. vii. b.
face iusticia.
io. ii. b.
face pecc.
io. iii. b.
face mandat.
io. v. a.
face
ac. vii. b.
faciens
ez. xiii. a. b.

iudi. xv. b.
eccl. xlviii. a.
aza. iii. d.
apo. viii. f.
faonius
ac. xviii. d.
fallacia
p. v. a.
eccl. i. b.
aza. xiii. a. xv. a.
col. ii. e.
he. iii. e.
ac. xiii. a.
fallere
re. xiii. e.
fallens
ys. x. b.
iac. i. b.
falsum
exo. xx. d.
dev. xix. b.
re. xx. e.
ps. lvii.
sap. xiii. b.
ys. xxiii.
ez. ii. e.
ag. xx.
do. ix. d.
falsus testis
aza. v.

Id ex libris fratris Bonifacij est / qui pro cōmodo fratrū
et cuiuslibet christicole bene utentis hūc repositus est. petit
suffragium pro aīā sua ex charitate.

[Emser, Hieronymus]

Missae christianorum Contra Luteranā missandi formulā Assertio

Anno M D xxIIII

Venerabili Presbytero/et amico veteri Magistrō Nicolao Hausman Cigneorum Parocho Hieronymus Emser SDP.

Cum in man⁹ nuꝑ incidisset/Nicolae charissime/dicat⁹ tibi recens/Luteri de missandi formula libellus: toties/ vt ille ait / a te petit⁹: In mentē pariter incidit/vet⁹ mihi tecum/tum scribendi olim / tum colloquendi de literis ac rebus sacris familiaritas. Qua te veteris ecclesiastice disciplinę ac vnionis catholicę obseruantissimum haud dubie cognoui. Quare nunꝙ animum inducam: vt formulatori huic credam: te posthabito catholicę matris archetypo: a filio isto perditionis aliam petijsse sacrificandi formulam: ꝙ ab apostolis et eorum successorib⁹ per manus nobis tradita est. Maxime quū scriptum esse non ignores: Ve qui despiciunt Syon: & confidunt in monte Samarię. Et apud Paulum legeris: Doctrinis varijs ac peregrinis nolite abduci. Et apud Solomonem. Terminos antiquos / quos posuerunt patres tui ne transgrediaris.

Nec iusta mihi causa videtur: cur tam vetustum ecclesię ritum/totius orbis consensu receptum/nunc tandem vbi ad fines sęculorum peruenimus/noua permutem⁹ legę. Quę prius ꝙ in omnes orbis partes diuulgetur: aut ab omnib⁹ comprobetur/orbis fortassis esse desinat.

Quod si etiam causa esset nouandarum rerum: Quis tamē adeo mente desipiat: vt cum Iuda a Caipha cōsilium petat: quod is nec sibi nec illi pręstare queat?

Deniꝙ cum sacrarum litterarum auctoritate / nō aliūde ꝙ ab Ecclesia/petenda sit / omnis diuinarum rerum institutio: dicente sriptura: De Syon exibit lex: & verbum domini de Hierusalem: Cur nam ab eo nouam missę formam ex fo: 2

ſigamus: cui tanq̄ hęretico & ſchiſmatico/ ex ſacro Carthaginenſi concilio/ ne intereſſe quidem Miſſę liceat?
Fictum igitur a Lutero/ mendaciorum architecto/ eſſe arbitror: te quicq̄ tale ab eo flagitaſſe: Atq̄ iccirco fictū: quo commodius in ſuum te lutum/ lutulentus ille pertraheret: ac noui complicis acceſſione/ res ſuas ſtabiliret.
Hinc & Lucianica hęc μεταμορφωσισ /qua te palpo iſte ex parocho facit Epiſcopum: etiam ſanctum/ ſi dijs placet.

Accedit magnifica et tota Paulina illa ſalutatio: quę pacem ac gratiam Chriſti/ verbis quidem prę ſe fert: re autem inanis eſt & vacua. Siquidem extra Eccleſię caueā/ (ę qua pſittacus iſte cum ſuo χαιρε dudum eſt eiectus) nec ſalus/ nec gratia/ nec pax Chriſti vera eſſe poſſit.
Vide igit̄ Nicolae chariſſime / quanto artificio/ vel in primo limine/ te Lucifer iſte aggredit̄: Quam q̄ toto hoc exordio aliud nihil agit: q̄ vt inani te gloria / et magnificis his titulis ineſcatum in ſuum trahat contubernium. Quatenus ad Aquilonem vſq̄ cum eo aſcendens (iuxta euangelicum hoc παραδωξον Omnis qui ſe axaltat humiliabit̄) ad ima tandem cum ipſo etiam pręcipiteris.
Tu vero ſi ſapis: vt olim ſapiebas: primum hūc callidi ſerpentis impetum /facile franges: Si cum Chriſto dicas/ Vade retro Sathana. Et cum Ioanne ipſe tecum habitans: ingenue illi reſpondeas: Non ſum ego Chriſtus. Hoc eſt: Non ſum ego Epiſcopus: ſacer ue Ierarcha: ſed ſecūdi ordinis pręſbyter curatus: ab ep̄o initiatus: & in partem ſolicitudinis ab eodem aſcitus. Hęc enim palam ac libere cum Ioanne fatendo: cum Ioanne pariter a domino audies. Quid exiſtis in deſertum videre arundinem vento agitatam.

Sin te epiſcopales iſti tituli adeo titillāt & oblectant: vt Luteranus ep̄s/ q̄ catholic⁹ ſacerdos eſſe malis: & deſerto anti quissimo ecclesię ritu: in nouam hanc missandi formam cō spirandum duxeris: Id saltē veteris amicicię iure mihi do= nabis: vt/ vtrisq existentibus amicis/ vtrumq prius audi= as de missa disserentē. Iam enim cum Lutero hac de re ma num conseram: & diuino fretus auxilio/ Missam nostram veterem/ ab omni prorsus iniuria vindicabo. Tu interim spectator/ non tam oculos/ q aures ac animum adhibe.

Luter

Hactenus libellis ac sermonibus egi inter populos: vt cor da primum ab impijs opinionib9 ceremoniarum auocarē.

Emser

Quid iniquius/ q ab opinione populari diuinarum rerū ceremonias ęstimare aut damnare? Esto enim q populus non solum impie de illis sentiat: verum etiam prorsus eas cōtemnat & abijciat: Quemadmodū et filij Israhel eas olim abiecere: Num propterea deterior erit ceremoniarum cau sa? Cur igitur per Ezechielem dominus loquens: Filij: in

Ezechielis xxxxiiij.

quit/ Sadoch/ qui custodierunt ceremonias sanctuarij mei cum errarent filij Israhel a me: ipsi accedēt ad mensam me= am: vt ministrent mihi: & stabunt in conspectu meo: vt of ferant mihi: & custodiant ceremonias meas rc. Vbi domi= nus ob neglectas ceremoniarum custodias/ tam populum q sacerdotes ac leuitas desertores/ a mēsa & ministerio suo abdicat: & custodes earum/ filios Sadoch/ in ministros sibi deligit.

Versipelli autem ingenio suo/ Luter modo culpā omnem in opiniones reijcit populi: Cum antea non solum opinio= nes Christianorum de ceremonijs: sed & ipsas ceremonias tanq impias ac sacrilegas in vniuersū dānarit. Quę si om nes sunt impię: cur in hoc libello magnam earum partem postliminio reducit/ ac libere permittit? Sin pię: cur popu lus ab eis auocatus est?

Quod si partim pias, partim impias esse contenderit: Non oportebat generali sermone/simul omnes in odium trahe re:sed palā ostendere/quatenus seruandę/damnandęue essent: vt saltē tritico parceret q̄ Zizania volebat euellere.

Luter

Proinde nihil vi tentaui etc.

Emser

Orbatus nunc signiferis suis/Francisco & Hutteno/vim dissimulat: & sine manibus rem egisse pretendit Illis vero superstitibus: nō solum equestrem primo ordinem/vt manus suas in sanguine nostro lauaret/exhortabatur. Sed etiam principibus regni vim populi minitabat̄. Et ędita bulla/neminem prorsus Christianum esse sinebat: qui nō manu/ope ac opera/ad euertendos Episcopatus ac Monasteria vires suas omnes coniungeret.

Luter

Nec vetera nouis mutaui.

Emser

Cur igitur paulo post conqueritur: non potuisse subito/vel eximi veterem & inolitam: vel inseri tam recentem ac insuetam colendi dei rationē? Nunquid qui vetera abiicit/& recentia inserit: vetera nouis permutat?

Luter

Maxime propter leues & fastidiosos illos spiritus: qui ceu sues immundę/sine fide/sine mente irruunt: & sola nouitate gaudent: Atq̧ statim vt nouitas esse desiit/nauseant.

Emser

Leues & ipse fateor eos qui sine mente & iudicio/noua statim illius dogmata suscipiunt. Sic enim scriptum est: Qui cito credit leuis est corde. At quemadmodum venęnum vel imprudenter haustum: prudēter statim ęuomitur: Ita isti gustatos semel nouitatis illius errores/sapienter protinus nauseant. Nam vt primus sapientie gradus est: nihil pœnitēdum admittere: ita proximus habetur: si quid per errorem commiſeris/mox corrigi ac ęmendari.

Luter

Quamuis vt rumpar ira/ferre eos cogor.

Emſer

Videbit in diem plures ac plures ab eo deficere: & dogmata ipſius nauſeare: rumpantur vt ilia Codro.

Luter

Sed cum iam ſpes ſit/multorum corda per gratiā dei illuſtrata eſſe ac roborata.

Emſer

Gratia dei illuſtrari corda hominum/nihil moror. Luteri autem ſcriptis illuſtrata eſſe/tunc demum credam cum cęcus cęcum/aut nox diem illuſtrauerit.

Roborata vero/hoc eſt/indurata & obſtinata ꝑ ipſum eſſe multoꝝ corda: non iam ſpes eſt: ſed res ipſa predicat.

Luter

Ipſaq; res poſcat/ vt tandē ſcādala tollāt de regno Chriſti.

Emſer

Tollentur quidem ſcandala de regno Chriſti: ſed tum demum cum mittet filius hominis angelos ſuos: vt tollant de regno eius omnia ſcandala. Luterum autē nō a Chriſto ſed a dęmone miſſum/hinc cōſtat: ꝙ quanto ille ſcandala ſe tollere ꝓmittit: tanto peiora ac plura ſemper inducit.

Luter

Audendum eſt aliquid in nomine Chriſti.

Emſer

Peculiare eſt huic homini/ſub nomine Chriſti/negotium agere diaboli.

Luter

Quare de formula aliqua pia miſſandi (vt vocant) & communicādi agem⁹.

Emſer

Formam/Miſſę noſtrę difformem/prꝭſcribere poterit: piam nunq̄ preſcribet. Eo ꝙ impium & hęreticum cenſendū ſit/quicquid extra coīōnem ac vnitatem ſit eccleſię: Nec deo placeat altare de lapidib⁹ sectis/Sic enim ad Mosen lo- quitur. Si altare lapideum feceris mihi: nō ędificabis illud de lapidibus sectis. Exodi xx

Per sectos autem in altari lapides/schisma populi in eccle- sia intelligitur. Quod Luter exuscitare nititur: dum ali- um Luteranis suis missandi ritum tradit: vt sic a communi fidelium cœtu separentur.

Videre autem licet inconstantiam istius hominis: qui cum missam prius tanto studio abrogarit: vt ne nomē quidem illi permiserit: contrario nunc vento agitatus/quasi totam excepto canone/reuocat & instaurat.

Luter

Nulli prorsus pręiudicātes/ne aliā amplecti ac sequi liceat

Emser

At quę tādem vnitas erit ecclesię: si cuiuis pro suo cerebro aliam semper atq; aliam missandi formam statuere liceat? Aliam enim olim Ioannes Hus Boemis suis tradidit: q̄ a magistro suo Wickleffo acceperat. Aliam ipse etiā Luter (nec vnam tātum) paulo ante/q̄ modo instituit. Aliam itē Huldric⁹ Zuinglius Canonomastix nuper ęffutijt. Quis igitur variandi finis? Aut quę Babylon tam confusa olim erit: q̄ missandi (hac data licentia) ratio?

Luter

Imprimis itaq; profitemur/non esse nec fuisse vnq̄ in ani- mo nostro omnem dei cultum prorsus abolere: sed eum qui in vsu est. pessimis additamentis viciatum repurgare ac vsum pium monstrare.

Emser

Si vera esset hęc professio: nemo hodie clarior viueret Lu- tero. Verum longe aliter nunc ore canit/ac cytharam pul sat. Quamuis enim primo quidem adparatu: hac ratione aures & oculos omnium in se conuerterat: q̄ reformaturū se pollicebatᷣ abusiones quasdam ecclesię & ecclesiasticorū

procerum: Mox tamen vt intellexit placere populo quas
fœcisset fabulas: & alterum iam Herculem/ orbis purgato-
rem/ palam omnes acclamarēt: Elata his successibus mens
hominis/ suapte peruersa/ latere amplius non potuit.
Cępit igitur (quod paulo ante dissimularat) iam palam/
non solum indulgentiarum abusum (vnde initium sump
serat hęc cantilena) verum ipsas etiam indulgentias: nec
tantum vicia sacerdotum/ sed ipsos etiam sacerdotes e me-
dio tollere. Summum item eorum pontificem de ponte de
ijcere/ maledicere ac detestari: Nec tātum sacramentorum (
si qua fuit) abusionem: sed integra sacramēta abolere: Mis
sam ex toto abrogare: altaria demoliri: Imagines diuorum
euertere: tum viuas illas imagunculas (sanctimoniales di
co) cū ipsis monachis e loco sancto pellicere: contemptisq;
eorum votis simul commaritare: Horas canonicas ac alia
diuinę laudis officia postponere: Piorum hominum pere
grinationes/ ecclesiarum dedicationes / vestium ac vasorū
consecrationes/ Aquę pręterea ac salis benedictiones sub-
sannare: Defunctorum item in Christo exequias/ ac perac
tiones anniuersarias: Sanctorum canonizationes/ festiuita
tes/ ac memorias/ prorsus cassare: quin ipsos etiam sanctos
e cœlo depellere: & sanctorum omniū purissimam dei ge-
nitricem ac virginem Mariam / nęuis obiter adspergere:
Orthodoxorum patrum dicta ac scripta cōtemnere Eorū
synodos & concilia floccifacere: pontificalia iura igni ex-
urere: ac totam deniq; ecclesiam confundere.
Postremo vt nihil illi sanum aut integrum reliqueret: au
sus est etiam nouissime/ tam vetus q̄ nouum testamentum
adulterando vertere: glossando corrumpere pingendo in
famare: nec solum loca quędam deprauare: sed integros etī
am libros abdicare: adeo vt nec apostolis nec Euangelistis
quidem parceret. Vnico enim Ioannis euangelio frętus: re
liqua tria facile posthabebat. Epistolā Pauli ad Hebreos/

suppositiciam: Petri secundam dubiam: Iacobi stramineam: Iudę apostolico: Apocalypsim suo etiam spiritui aduersam predicabat. Quas etiam iccirco extra canonem biblię ablegauit: & ordinarium in testemento suo nouo / locum habere noluit.

Hec omnia / non in modum purgatoris / sed exterminatoris aggressus: dicere nūc audet: nunq̄ fuisse in animo suo / cultum dei omnem / prorsus abolere: sed vsum pium mōstrare.

Obsecro autem te Nicolae charissime / Num hoc est vsum pium monstrare: an pietatem potius omnem semel extinguere? Mea quidem sententia non animus isti defuit: sed successus.

Quare cum in prima illa sua protestatione / tam insigniter sit menitus: Quid reliquum in hoc libro sperabimus / nisi fucos & mendacia?

Luter

Nam hoc negare non possumus / Missas ac cōmunionem panis ac vini ritum esse a Christo institutum: qui sub ipso Christo primum / deinde sub apostolis simplicissime atq̄ pijssime / absq̄ vllis addita mentis obseruatus est.

Emser

Vnde istęc noua religio: vt qui missam prius idolorum cultum esse dixerit: Christi nunc institutū palam fateatur?

Verum caupo noster iterum hic aquam vino miscet. Nam vt demns illi Christi missam ac eius ritum / fuisse quidem simplicissimum. Nunq̄ tamen euincet: eundem ritum ab apostolis etiam tam exacte obseruatum: vt nihil omnino adiecerint. Constat.n. Petrum in prima sua missa / quā Antiochię celebrasse dicitur / dominicam statim addidisse orationem: qua etiam reliqui apostoli in missis suis initio nascentis primo ecclesię vsi sunt teste Gregorio in epistola ad Ioannem Syracusanum episcopum Ac Remigio Altisioorensi in libro suo de officijs diuinis.

Deinde vero/ vbi iam crescēte ecclesia/ apostoli pariter omnes/ ad formandum & augendum diuinum cultū/ animū intenderent: Ordinata est auctore Petro Missa in eundem ferme modum/ quo omnes hodie vtimur. Teste Isidoro libro de origine officiorum primo. Vbi sic ait. Ordo autē missę/ quibus oblata deo sacrificia consecrantur: primo a sancto Petro est institutus: Cuius celebrationem/ Vno eodemq; modo vniuersus peragit orbis. Hęc ille. Quod intelligo quo ad formalia seu essentialia missę apostolicę. Circa materiam vero non negauerim/ quędam etiam deinde rationabiliter siue addita/ siue pro dignitate exaltatę iam a deo ecclesię immutata: Quale est illud/ quod pro vitreo/ calix aureus siue argenteus ad decorem & magnificentiā domus domini ordinatus est/ & id genus alia quę breuitatis causa transeo.

Nec obstat Isidori sententię/ q̄ in decretis Canonicis/ Sexta Sancta Synodus/ ordinationem missę non Petro sed Iacobo tribuit. De consecratione distinctione prima Canone Iacobus frater domini. Non .n. dicit sancta illa Synodus Iacobum primo instituisse Missam: sed primo in scripturis redigisse eius celebrationem. Antea.n. apostoli sola traditione ac consuetudine missam celebrabant; donec Iacobus iam morti vicinus hębraicis/ ac Basilius deinde gręcis litteris formam eius conscripserunt.

Sed & Paulus/ posteaq̄ cum Petro ac Iacobo contulit Hierosolymis: alium deinde Missę ac comunionis ritum Corinthijs se traditurū (cum ad eos venerit) promittit. i cor. xi. Quem etiam pręstitisse illum/ iuxta eam formam quā pene omnis frequentat ecclesia: Dum ad Timotheum scrībit Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes orationes/ postulationes seu inter pellationes ac gratiarū actiones: Auctor est beatus Augustinus epistola lviiij ad

Paulinum scripta. testantur hoc idem Ambrosius Mediolaneñ/Haimo Halberstateñ / & Anshelmus Canthuarieñ Episcopi: in eundem Pauli locum /
Quoꝝ omniũ verba Thomas Walden Anglicus/ insignis Theologus/in libro eiꝰ de sacramentalibꝰ Missę diligẽter olim collegit. Vbi de hoc latius videre poteris.
Formam etiam apostolicę traditionis Discipulus Pauli/sacer ille Dionysius Areopagita per singula capita digessit in ecclesiastica sua Ierarchia : vt suis infra locis ex eodem citabimus.
Qua fronte igitur Luter contra tot sanctos & antiquos ecclesię patres/quin etiam contra decretum Vniuersalis concilij. tuebitur Missam Christi ab apostolis simplicissime/& absq; vllis additamentis fuisse obseruatam?
At dicet forte / vt in libro suo de abroganda missa tragice obmurmurat. Iactant (inquit) Papistę / patres patres/ decreta decreta / ecclesia ecclesia : Et nos multo fortius iactabimus euangelion euangelion/Christus Christꝰ ꝛc̃
Ad hoc respondemus Lutero / frustra eum siue Missã siue alios Christianorum ritus ad euangelium reuocare: Neq; enim euangelium/neq; Christus ipse/ exactam mysteriorum suorum formam nobis tradidit/ sed prima tantum rudimenta/a spiritu sancto & ecclesia deinde absoluenda/
Testatur hoc (vt reliquos nunc preteream) antiquissimꝰ & apostolorum vicinꝰ Tertullianus tum auctoritate scripturę/tum ratione naturali in libro de velandis virginibus sic inquiens? Propterea enim Paracletum misit dominus: vt quoniam humana mediocritas / omnia simul capere nõ poterat: paulatim dirigeretur/& ordinaretur/& ad perfectum perduceretur disciplina a spiritu sancto. Sicut Christus dixit Cum Venerit ille spiritus veritatis/ deducet vos in omnem veritatem/& superuenictia annunciabit vobis.
Quę est ergo paracleti administratio: nisi hęc/ꝙ disciplina

dirigitur/ꝙ scripturę reuelantur:ꝙ intellectus reformat̃:
ꝙ ad meliora proficitur? At hęc omnia tempus desiderant:
quod primo in creaturis cernitur. Granum est primo:
& de grano frutex oritur De frutice arbuscula ęnititur. De
inde rami & frondes inualescunt:& totum arboris nomen
expanditur. Inde germinis tumor: & flos de germine sol
uitur & de flore fruct⁹ aperitur. Isq; aliquandiu rudis: pau
latim ętatem suam dirigens/ęruditur in mansuetudinē sa=
poris. Sic iusticia primo fuit in rudimentis naturę/ deum
timens. Dehinc per legem & prophetas promouit in infan
tiam: Dehinc per euāgelium ęfferbuit in iuuentutē. Nunc
per paracletum in maruritatem componitur. Hęc ille. Nec
Montanizat in hoc Tertullianus (vt in codice illo Rhena
no sycophantice a quodan astutum est) Non loquitur .n.
de spiritu Montanico sed de spiritu sancto/de q̊ & Christ⁹
ipse locutus est/cuius verba in medium adfert.
Quo nunc igitur sese Luter proripiet? Anne spiritui sanc
to locum dabit:& ecclesię colla submittet? An adhuc clama
bit euangelion euangelion/ Chistus Christus/sicq; euan=
gelio Christi in ruinam suam perpetuo abutetur? Si enim
in euangelio omnia tā exacte a Christo tradita sunt: quid
ergo ecclesię cōtulit paracleti administratio? Aut quid op⁹
fuit eius missione?

Luter

Sed successu temporum tot humanis inuentis auct⁹: vt prę
ter nomen ad nr̃a sęcula nihil de missa & cōione puenerit.

Emser

Cum ritus ille Christi/& verba ei⁹ in missa nostra perma=
neant: Et ea/quę nō humanis (vt iste ait) inuentis/sed spi=
ritus sancti directione/siue per apostolos primo/siue per
legitimos eorum successores deinde adaucta sunt: modum
non excedant: sed certa & diuina ratione sibi constent: pa=
riq; per totum orbem Christianum obseruatione ab initio

in hunc diem vsq; perseuerent: non potest esse/ nisi impudens mendaciū/ nihil ad nos de missa puenisse pter nomē.

Luter

At primorum patrum ordinationes qui vnum aut alterū psalmum ante benedictionem panis ac vini leui voce orasse leguntur: laudabiles fuere. Quales Athanasius ac Cipri anus fuisse putantur.

Emser

Neq; Athanasij neq; Cipriani inuentū/ sed apostolica traditio atq; institutio est/ vt non statim ante panis & vini cōsecrationem: sed interposita sanctarum scripturarū (epistolę videlicet et euangelij) lectione: psalmus aliquis futuro sacrificio accomodus: in ipso Missę exordio/ non leui quidem voce mussitet̄: sed alta & sonora modulatiōe decātet̄. Rationem ac modum apostolici huius instituti sacer Dionysius in ecclesiastica sua Ierarchia capite tertio recenset: de modo primum sic inquiens. Itaq; Pontifex quidem vbi orationem sanctam supra diuinum altare peregit: ex ipso incensum adolere inchoans: omnem phani ambitum circuit: demum ad sanctum altare iterum rediens psalmorū incipit melos/ concinentibus secum sacra carmina omnib⁹ ecclesiastici ordinis gradib⁹. Deinde ministrorum officio sanctarum scripturarum lectio suo ordine recitatur. Rationem deinde subiungit idem pater his verbis. Porro psalmorū sancta modulatio (quę omnibus fere sacerdotalib⁹ mysterijs iungitur/ & substantię ratione coheret) summo oīm pricipaliq; mysterio deesse nō debuit. Hęc Dionisi⁹.

Sic etiā hodie dominicis ac festiuis dieb⁹ ante missam circuitur.

Constat igitur Luce clari⁹/ nec ab Athanasio/ nec a Cipriano/ sed ab ipsis apostolis (qui/ vt scriptura dicit/ annūciauerunt nobis opera dei/ & facta eius intellexerunt: quorū etiam discipulus hic fuit Dionysius) psalmorum hanc ad missam decantationem fuisse institutam. Idq; nō statim an-

De Origine Introitus Missae

te panis & vini benedictionē (vt Luter inquit) sed interiec ta sanctarum scripturarum lectiōe / symbolo fidei / & aliīs quę in eodē capite sequntur. Quo magis illucescit Luteri siue impudētia / siue inscitia: qui dicere audet Missam Christi ab apostolis simplicissime & absq3 vllis additamentis fuisse obseruatam.

Et ne leuis esse videatur sola Dionysij auctoritas: alios duos huius rei testes / & quidem idoneos proferam: Augustinum videlicet & Hieronymum / vt in ore duorum aut triū testium stet omne verbum. Augustinus enim in libro de Ciuitate dei obiter tractans locum illū Esaię vltimo: Quo modo si inferāt filij Israhel rc. Comparauit (inquit) illos dominus tanq3 per similitudinem filijs Israhel / offerentibus suas hostias cum psalmis in domo eius / quod vbiq3 iā facit ecclesia. hec Augustinus.

Hieronymus quoq3 in eundem Esaię locum sic ait. Quomodo solebant filij Israhel (dum eorū staret religio: & templi cęremonię seruarentur) offerre victimas cum psalmis in domo domini: Ita vsq3 hodie in domo domini (quę est ecclesia) filij israhel / qui mente conspiciunt domini / spirituales offerunt hostias rc. Quod deinde etiā in sensu mystico exponens / ad hostias virtutum refert / quas quilibet Christianus in vase / hoc est in corde & corpore mundo offerre debet.

Nec obstat q2 in decretis Pontificum legimus / Celestinū papam (qui longo post tempore successit) primum psalmos ad missam cantandos instituisse. Plura enim talia Romanis tribuuntur pontificibus: quę illi non per se primo statuerunt / sed iam ab apostolis instituta / publicarunt: pertotamq3 ecclesiam obseruanda demandarunt. vt suo loco clarius ostendam.

Cęterum Celestini decretum / non id sonat / vt psalmi simpliciter quidē canerentur ad missam: quod iam ante in vsu

De Origine Introitus Missae   fo: 8.

fuit: sed vt antiphonatim / hoc est reciprocando canerent (vt Platina inquit) quod prius non fuit. Vestigium autem Celestiniani huius ritus / hodie etiam manet in festo purificationis Marię: vbi ad stationem ante missam / iuxta veterē hunc morem Symeonis psallitur canticum / reciprocando post singulos versus / antiphonę instar / versiculum illum Lumen ad reuelationem gentium &c.

Cum autem in singulos dies / nimis longus videretur hic ritus / propter psalmorum quorundam prolixitatem: nec solum fastidium pareret populo / sed cęteris etiam officijs impedimentum: Institutus est deinde a Gregorio / pro integro psalmo / versicul⁹ aliquis eiusdem psalmi quē nunc introitum vocant: Manente nihilominus etiam Celestini ritu / antiphonatim videlicet repetendi dictum introitum post alium eiusdem psalmi versum / & Gloria patri / auctoritate Damasi interpositum.

Hęc de introitu (qui a psalmis illis traxit originem) dicta sufficiant. Quamuis autem ecclesia in festiuitatib⁹ quibusdam Christi & sanctorum eius nō semper ex psalmis / sed ex alijs etiam prophetis aut aliunde petat introitum secundum festi ipsius rationē ac maiestatem: Versiculus tamē in medio positus fere semper ex psalmis sumitur. Nec minoris auctoritatis esse debet / quod vniuersalis obseruat ecclesia / q̄ id quod vel Celestinus / vel Gregorius statuit.

Luter

Deinde qui Kyrieleison addiderunt & ipsi placent Nam sub Basilio magno legimus Kyrie eleison in vsu fuisse totius populi publico   Emser

Nunq̄ hoc in vsu fuit totius populi Christiani publico: sed grecorum tantum. Quibus propterea tam celebre factum est / q̄ hac voce (vt VVilhelmus ait in rationali suo) orante Basilio / fores ecclesię clausę patefactę sunt. Conuenerat enim cū Arrianis hęreticis vt ei parti cederet ecclesia

Unde Kyrieleyson

ad cuius preces sese vltro recluderet.
Romana autem ecclesia/ quę ritus suos nō a gręcis/ sed a Petro/ & partim a Hierosolymitana habet ecclesia: triplicem cum gręcis differentiam seruat in Kyrie eleison. quarum prima est: ꝙ apud Gręcos vsq; nunc etiam omnis populus apud Latinos vere solum Clerus illud decantat In quibusdam tamen ecclesijs/ Minister alternis vicibꝰ sacerdoti respondet. Secunda ꝙ nos in medio dicimus ter Christe eleison: Illi vero/ tacito Christi nomine/ tātum Kyrie eleison nonies ingeminant. Has duas differentias/ Gregorius in registro recitat libro vij capite lxiij. Tertiam vero Remigiꝰ ponit in libro suo de officio misse: videlicet ꝙ sicut Latini greca canunt voce Kyrie eleison: ita Gręci latine cantant Domine miserere: ad significandam (vt ille ait) vnitatē ac societatem fidei/ in vtroq; populo. Non enim est distinctio iudei & greci Ro. x.
Rationem vero quare post introitum statim sequatur Kyrie eleison/ Rabanus adfert/ in libro suo de institutis clericorum/ sic inquiens Post introitū sacerdotis λιτανεια hoc est supplicatio a clero agitur: vt generalis oratio/ specialē preueniat sacerdotis.

Luter

Iam epistolarū & euāgelioꝝ lectio etiā necessaria fuit & est.

Emser

At in ea quā antea ille tradidit missandi forma nihil ad missam necessarium esse dicebat/ preter verba hęc consecrationis: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus et c. Tam egregie sibi constat spiritus ille vertiginis.

Luter

Nisi ꝙ vitiū sit in ea lingua legi/ quę vulgo nō intelligitur.

Emser

Ergo vicium fuit/ ꝙ apostoli ad quascumq; gentes peruenissent/ non nisi hębraica lingua/ diuina peragebant myste ria. Qui mos etiam in tota orietali ecclesia vsqꝫ ad Adriani tempora obseruat⁹ est. tunc enim vt dicunt Chronographi primum grece celebrari ceptum est. Et id quidem Crucis titulus/solum his tribus linguis/Hebraica videlicet /latina & greca inscriptus/preseferre videtur: vt solū his linguis passionis tractetur mysterium. Quamuis apud Blondum Flauium de Italia illustrata/legisse me olim meminerim: eo loci vbi tam histriam ꝙ diuum nostrum Hieronymum Italie vendicat: non solum linguā ac litteras Sclauonicas ab eodem Hieronymo primū repertas (Vnde & Sclauus a quibusdam habitus sit) sed etiam totum misse officiū in eandem linguam ab eo traductum: quod Eugeni⁹ quartus postea huic genti/ob veterem ac gentilicium erga diuū Hieronymum amorem confirmauerit. Verum ea lingua ex grecis & latinis (vt Blondus ibidem testatur) litteris composita est: licet ab vtrisqꝫ diuersa.

Luter

Tum additus est hymnus ille angelicus: Gloria in excesis Et in terra pax. Item gradualia. Alleluia/& symbolum Nicenum. Sanctus. Agnus dei. Communio. Que omnia talia sunt: vt reprehendi non possint.

Emser

Palinodiam hic cantat non Helene sed Ecclesie Stesichor⁹ qui cū antea missam velut impiā ac sacrilegā abrogarit: omnesqꝫ ipsius tam tractatores ꝙ auditores idolatros esse dixerit: Sed & paulo supra tragica voce expostularit: nihil ad nostra secula de missa peruenisse preter nomē. Contrario nunc spiritu rotatus: non solum totum fere catalogum recenset/eorum que de missa a maioribus ad nos vsqꝫ peruenerūt: Sed & pleraqꝫ eorum esse fatetur laudabilia: alia placere sibi: quedam etiam necessaria: Deniqꝫ talia omnia asserit vt reprehendi non possint.

Non igitur nos Christiani veteres: sed nou⁹ iste Stesichorus/impius/sacrilegus/& omnino cęcus tunc fuit/ cum ista damnaret / quę ipsius testimonio talia sunt / vt nec ab ipso Momo reprehendi valeant.

Luter

Presertim quę de tempore seu dominicis diebus cantant: Qui dies soli adhuc priscã puritatẽ testant excepto canone

Emser

Oblitus illius quod apostolus ait: Mundis omnia esse munda: Canonem Missę & quidquid non fuerit de tempore vel Dominicis/tanq̃ impurum & inmundum abijcit. Quales sunt Missę de beata virgine /de sanctis / pro defunctis & id genus alię. At paululum expecta/mi Nicolae/donec singula suis locis reddere poterimus; Et ipse sese vltro prodat / hanc eius esse sententiam.

Luter

At vbi iam Licentia fiebat addendi & mutandi ꝓ vt cuius libebat.

Emser

Peruerse nimis Luter in alijs accusat: q̄ ipse sibi toto hoc libello vendicat. Quoties enim testatur liberũ cuiq̄ esse velle/aut hanc aut aliam sequi & amplecti formam? Aut quid magis deprecatur: q̃ ne certa lege & forma nos obstringi sinamus: sed suum quisq̄ prodat somniũ? At in ecclesia dei vnica missandi forma est: cuius mutandę nõ cuius/neq̄ vlli phas est: nisi legitimis apostolorum successoribus: potestatem a deo habentibus.

Luter

Accedente tũ & quęstus ac ambitiõis sacerdotalis tyrãnide

Emser

Cotidiana hęc Luteri conuicia: & inueteratum in sacerdotes dei odium/ velut rem indignam transeo: ad magis necessaria animum intendens.

Luter

Tunc cęperũt altaria illa & insignia Baal / & omniũ deorũ poni in templum domini per impios reges nostros idest Episcopos et Pastores.

Emser

De altaribus loquitur sanctorum / quemadmodum etiam in fine libri ecclesiam omniũ sanctorũ VVittenberge / omniũ vocat diabolorũ doletq́; quicq́; illic adhuc esse integrũ.

Falso autem Episcopos (vt solet) traducit: qui tam ecclesias q̃ altaria / non sanctis ad honorem dei: sed deo poti⁹ ad honorem sanctorum cõsecrant. Quo fit vt vnum tantum sit altare apud Christianos. Nulla enim de causa altare constituitur: q̃ vt sacrificium in eo offeratur. Sacrificare autem cum sit actus latrię / soli deo debetur. Vnde Augustinus de ciuitate dei libro xx capite x. Non erigimus inquit altaria in quibus sacrificemus martyribus: sed vni deo & martyrum & nostro sacrificium immolamus.

Hęreticos vero tot erigere altaria / quot hęreses & schismata inueniunt: quotiesq́; contra ecclesiam dei cornua erigũt: Auctor est diuus Hieronymus in Amos prophętam capite tertio super hęc verba domini. In die qua vlciscar iniquitates Israhel / vlciscar & super altaria bethel / & suffodient cornua etc.

Luter

Hic sustulit impius Achas altare ęneum: & constituit aliud e damasco petitum.

Emser

At Luter non ęneum sed Luteum nobis altare constituit dum ad lutea & carnalia desideria populum reuocat: vt qui spiritu iam ceperant: carne tandem consumentur. Id quod statua illa Nabuchodonozor (per quã futurus ecclesię status significabatur) proprie adumbrat: dum a capite aureo / & argenteo pectore / p ęnea fœmora / & tibias ferreas / in Luteũ tandem pedem desinit Danielis ij

Luter

Loquor autẽ de canone illo lacero & abhominabili ex mul

Missa fit sacrificium

torum lacrimis ceu sentina collecto.

Emser

Execrabilem hanc blasphemiam proprio paulo post libello vindicaturus sum: quem contra Vldricum Zuinglium pro asserendo canone nunc simul meditor. Vbi deo fauente ostendam/ vtrunqꝫ/ tam Luterum q̄ꝫ Zuinglium/ impie ac hęretice traduxisse canonem nostrum/ omni veneratione dignum: iusteqꝫ ad fustes damnandos qui ad ferulam eum reuocare ausi sunt.

Luter

Ibi cœpit Missa fieri sacrificium.

Emser

Non ibi (hoc est in canone) primum e missa sacrificium factum est: Sed ab ęterno iam in mēte diuina sacrificiū hoc destinatum fuisse illud arguit: ꝙ mox orbe condito in primis illis patribus fuit figuratum: In lege deinde per sacerdotales propositionis panes & alia adumbratum: hinc per ora prophetarum vaticinatum: & tandem a Christo in cœna exhibitum. Hinc per apostolos & orthodoxos noui testamenti patres orbi commendatum. Sicqꝫ annis nūc mille quingentis ab vniuersa ecclesia dei pro sacrificio pie obseruatum. Nec vnq̄ꝫ cessaturum in ea donec rex finis & AntiChristus apparuerit. Ita vt merito a Daniele sacrificium iuge adpellatum sit. Qui de vltimis temporibus prophetans: tunc (inquit) auferent iuge sacrificium. Hoc autem de Iudeorum sacrificio / quod dudum cessauit / dicere non potuit. Auferendum enim hoc/ & aliud deinde mundū gētibus se traditurum / Dominus per os Malachię prophetę prędixit: in cuius primo capite ita legimus. Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus: Neqꝫ accipiam sacrificiū vestrum/ quoniam ab ortu solis/ vsqꝫ ad occasum eiꝰ/ magnum est nomē meū in gentibus: quę offerent in nomine meo sacrificium mundum.

Per mundum autem hoc sacrificium gentiū: Missam nostram seu panis ac vini sacrificium intelligi: testantur nō solum doctores nostri/sed ipsi etiam Iudei: & precipuus eorū Rabbi Salomon in libro suo ad Rabbi Isaac magistrū Synagogę Arabicę capite xx de reprobatione sacrificij Iudeorum & electione sacramenti Christianorū. Mundum vero dictū est magis ex seipso q̄ ex offerentiū merito.

Nec valet obiectio illa Luterana/Christum nō nisi semel seipsum obtulisse: eo q̄ tantum semel mortuus sit: iam nō moriturus: quare sicut mors illa & oblatio Christi nō possit repeti: ita nec Missam dici posse sacrificium. Non tantum enim semel (vt iste putat) sed ter eodem die se Christus obtulit: vt catholicorum patrum tenet sententia.

Et primo quidem in ipsa cœna/in agno paschali cum discipulis edendo secundum ritum Iudeorum figuraliter: Vbi finem imponens tam sacerdotio q̄ sacrificio illi Iudeorum vmbratili primū aufert vt sequens statuat heb x.

Secundo se Christus obtulit facta iam cęna in pane & vino benedicendo secumdum ritum Christianorum sacramentaliter: Vbi tam sacerdotium q̄ sacrificium Christianorū nouum illud ac mundum: hoc est missam & communionē instituit. Negare enim (vt ipsius Luteri verbis vtar) non possumus Missam ac communionem ritum esse a Christo institutum.

Ritus autem iste alius fuisse non potest q̄ Dauid de eo prędixit. Iurauit (inquit) dominus & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedech. Quare cum ritus & ordo Melchisedech/(qui panem & vinum obtulit) sacerdotalis fuerit & sacrificus: necesse est ritum etiam Christi sacerdotalem fuisse ac sacrificum: Missamq̄ ipsius sacrificium.

Tertio se Christus obtulit/non iam typice aut sacramenta

liter:sed in persona propria moriendo in cruce vere ac re=
aliter. Vbi tanq̄ hostia pacifica (quę non aperuit os suum
cum ad occisionem duceretur) omnia per sanguinem suū
pacificauit quę in cœlo sunt & in terra col. i

Lutero igitur & eius obiectioni respondemus: q̄ q̄uis cor
pus ac sanguis Christi in Missa nostra non offeruntur eo
modo quo ī cruce se ipsum obtulit vere ac realiter (Hęc.n.
oblatio ad redimenda totius mundi peccata semel facta: so=
li Christo competijt: de qua & Paulus ait: q̄ vna oblatione
consumauit in sempiternum sanctificatos heb. x) Offerū
tur tamen idem corpus ac sanguis domini cotidie a nobis
in mysterio/sub speciebus panis ac vini contenta sacramē=
taliter. Quatenus (vt Eusebius Emisenus ait) iugiter co=
leretur per mysterium: quod semel offerebatur in preciū.
Et sicut quotidiana & assidua currit ꝓ omniū salute redēp
tio: sic etiam perpetua esset redemptionis oblatio: & peren
nis victima illa viueret in memoria: & semꝑ presens esset
in gratia/vere vnica ac ꝑfecta hostia. Hęc Eusebi⁹.

Ex quibus omnibus iam satis patere arbitror/quaten⁹ Mis
sa nostra sacrificium dici possit: non ibi: hoc est in canone/
recens natum: sed mox orbe cōdito in primis illis patrib⁹
diuersimode figuratum: in lege adumbratum: a prophe=
tis predictum: & a Christo tandem secundū ordinē Melc=
hisedech exhibitum.

Restat igitur videre nūc/si forte ab apostolis/& orthodox
is noui testamenti patribus pro sacrificio etiam habitum ac
orbi commendatum fuerit.

Et primo quidem apostolica nobis occurrit traditio: ac di=
uinę missę ordinatio: in qua toties sacrificium esse dicitur.
Ex quo satis apparet/pijs ac non contentiosis animis/Mis=
sam ab ipsis etiam apostolis/sacrificij instar habitam ac ce=
lebratam fuisse.

Accedit manifesta Pauli auctoritas heb. v. Omnis/inquit

Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus consti tuitur: In his quę sunt ad deum: vt offerat dona ac sacrifici= a pro peccatis: Per hoc enim ꝙ dicit In his quę sunt ad deū manifeste indicat: non de quolibet vulgari sed missę tantū sacrificio se loqui: quo nullū deo est acceptius: Quod etiā donum vocat: eo ꝙ in memoriale dominicę passionis (per quam peccata tolluntur omniū) nobis datum ac relictū fue rit. Vnde ex his verbis Pauli in canone ni fallor scriptum est. Hęc dona/hęc munera/hęc sancta sacrificia illibata. Tertio testatur hoc venerabilis apostol9 Andreas: Cui cū procōsul Egeas diceret: hęc vana tuis narra: & mihi obtēp ora: ac dijs omnipotentibus sacrifica: Respondit ille. Omni potēti deo cotidie agnum immaculatum offero: qui postq̄ꝫ a toto populo comestus fuerit/viuus ac integer pseuerat.

Iam vero patrum orthodoxorꝶ hac de re testimonia / quis vel omnia enumeret: aut quid opus fuerit ea recensere? Cū Luter nullum eorum obijcere nobis possit: qui missam sa= crificium esse negauerit: Ego vero contra: totum Oceanū implere possim auctoritatibus ac locis quibus id asserant. Nam vt Dionysium Areopagitam ac Eusebium Emise= num supra iam citatos ptereram: Testatur hoc Alexander quintus a Petro in canone nihil de consecratione distincti one secunda. Subscribit Basilius qui missam post Iacobum in sciptis tradidit testante sancta illa sexta Synodo supra iam sepe citata. Item Tertullianus in libro definitionum ecclesiasticorū dogmatū capite lxxv. Epiphanius in epis tola ad Ioannem episcopum Hierosolymitanum. Cipria= nus in epistola ad Cornelium Papam /Athanasius in epis tolam pauli ad Hebreos/Chrysostomus super Matheum homelia lxxxiij. Hieronymus sup Esaiam Malachiam & pluribus alijs locis. Augustinus libro confessionum nono De ciuitate dei libro x. capite xx. & pluribus alijs locis:

Ambrosius libro ad Gratianum Augustum: libro Sacramentorum quarto/ac pluribus aliis locis. Et ne totum illorum Kalendarium recenseam: Sacrificium etiam vocatur a sacris conciliis Carthagineñ/Toletano/Laterano/& aliis multis/vt videre potes de consecratione distinctiõe prima & secunda per totum.

Pudeat igitur Luterum contra tot sanctos viros/tot veteris ac nouę legis testimonia/prophetarum vaticinia/& contra ipsam primęuam apostolicam traditionem/blasphemiam hanc facere spiritui sancto: vt vniuersam dei ecclesiam tam diuturna/tam noxia/& tam crassa ignorantia errare permiserit. Quin certo firmiterq; credamus Lutero a nemine pręterq̃ a malo dęmone suggestum: vt Missam sacrificiũ esse negaret. Nec alia causa canonem nostrum reiicere/nisi q̄ toties ex eo conuinci possit impium ipsius mẽdacium/mendaxq; impietas.

Luter

Ibi addita offertoria & collectę mercenarię/ibi sequẽtię & prosę etc.

Emser

Nihil impietatis in his omnibus inuenio.

Luter

Tum cępit missa esse monopolium sacerdotale totius mundi opes exhauriens etc.

Emser

Inique monopolium vocat Missam in qua nulla intercedit emptio vel venditio: sed libera ac deuota fidelium siue donatio siue oblatio. Quam sacerdos etiam nõ recipit/vt vẽditę mercis precium: sed vt debitum altari stipendium.

Luter

Hinc missę pro defunctis/pro itineribus/pro opibus. Et infra: vt taceam memorias viuorum ac mortuorum.

Emser

Neq; pro defunctis: neq; pro securitate itinerũ vel opib⁹/

aut quauis alia vitę necessitate siue animę seu corporis salute orare nos vetuit: nec quicq exclusit/qui dixit: Quodcunq petieritis in nomine meo/hoc faciam. Et alibi Salus populi ego sum.

Siue igitur pro viuorum/siue pro mortuorum salute ecclesia orat vel celebrat: non recens est inuentum canonis: sed exemplum in hoc sequitur tam veteris q noui testamenti pontificum. Sic. n. Aaron inter viuos & mortuos medius olim stetit incensum & preces pro vtrisq offerens. Sic Pontifex noster Christus missam suam in cruce perficiens/primo pro viuis orat. Pater ignosce illis: Deinde ad mortuos se conuertit: vnde & monumenta eorum aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. Nume .xvi

Non solum autem missas pro defunctis celebrare: sed in omnibus etiam missis memoriam eorum fieri vetus primitiuę ecclesię traditio est. Vnde Augustinus Hoc inquit a patribus traditum/vniuersa tenet ecclesia: vt pro eis: qui in corporis ac sanguinis Christi communione defuncti sunt/oretur: cum ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur. Et in libro confessionum nono/Matrem suam comendat/quod in stante resolutionis die/non de sepulchri honore/nec de funeris pompa/sed solum de hoc vno solicita esset/vt frequens ipsius memoria fieret ad altare/in quo sciret dispensari victimam illam sanctam/qua deletum est chyrographum peccati.

Isidorus quoq de origine officiorum libro primo Sacrificium (inquit) pro defunctorum requie offerre (quia per totum orbem custodit) credimis ab ipsis apostolis esse traditum.

Tanti autem momenti apud veteres/defunctorum missa fuit vt Presbyttero licuerit/si quis post eius missam obijsset/aliam eodem die missam celebrare pro exequijs illius defuncti. vt etiam dicit glo. in verbo necessitatis extra de celebratione missarum capitulo consuluisti: Quod tamen per concilium carthaginensem deinde correctum est/sancitumq/vt vbi quis post missam ordinariam diem obierit/sufficere commemorationem ipsius fieri orationibus (quas vigilias hodie dicim⁹) missam autem in crastinum differendam.

Vetustatis item indicium est q(ut VVihelmus ait in rationali suo) Episcopus olim Bethleemitan⁹ in missis defūctorum Gloria in excelsis/ex speciali priuilegio cantabat eo q in eodem loco primum hymnus ille ab angelis auditus esset. Valeat igitur Luterus cum impijssimo isto suo dogmate: quo tanq̄ prędo ter sacrilegus/non solum fideliū defunctorum animas pio priuat suffragio: verum ipsos etiā viuentes ita dementat: vt plęriq̄ eorum anathema putent si quis olim pro eis mortuis/vel oraturus vel missam celebraturus sit. Quo quid dici potest insanius?

Luter

Neq̄ hodie cessat canon iste augeri alijs & alijs festis/alias actiones/alias communicantes asciscens.

Emser

Cum ex concilio placentino/sacrisq̄ canonibus decem tā tum sint prębationes nobis prescriptę. Quarum sex tantū dies ex speciali eorum priuilegio speciales habent actiões siue communicātes: vt sunt dies natalis domini. Epihanię Cœnę/dies resurrectionis/Ascensionis ac Penthecostes/nec hunc numerum cuiq̄ augere liceat: Planum est mentiri Luterum/dum ait neq̄ hodie cessare augeri canonem nouis semper auctarijs. Luter

Nam additamenta externa/vestium/vasoꝝ/cereoꝝ/pallarū/deinde organoꝝ & toti⁹ Musicę/imaginū quid dicam?

Emser

Nouus iste Dionysius/non solum Ioui pallium/ac barbā Aesculapio: Verum etiam deo cœli omnem diuinum cultū inuidet: nec ęquo animo ferre potest/vt vlla dei creatura in Laudem auctoris sui resonet: cum musicum ipsi⁹ instrumentum (quam Lutinam vulgo vocant) inter monialiū

amplexus & tripudia singulis fere noctibus diabolo per-
strepat Verũ toties ille iam libellis suis vernaculis/hęc om
nia incessuit: toties ego ea asserui: vt aures iam tinniant/,pr
susq; fastidiant. Cum iuxta prouerbium crambe etiam bis
posita mors sit. De vestibus tamen ac vasis infra latius di-
cã. De imaginibus vero Carolostadio dudũ iam respõdi.

Luter

Nihil pene fuit in toto orbe artificiorum quod nõ magna ex
parte sua negocia/ac suũ quęstũ haberet/& e missa aleret.

Emser

Mutatio hęc est dexterę excelsi: vt Missa/quę illi pauloan-
te totius mundi opes exhauriebat/totum nunc orbem alat
ac diuitet

Cui autem rei operam suam vel alacrius/vel iustius impẽ-
dant / omnes quotquot vsq; sunt artifices / q̃ dei cultui: a q̃
& vitam habent/& artium suarum excellẽtiam. Ad instau-
randum Solomonis templum triginta milia erant eorum tan
tum qui ligna cędebant. Septuaginta milia portantiũ one-
ra: Octuaginta milia cementariorum ac latomorum: pręter auri
& argẽti fabros fusores/sculptores/textores /pictores ac cę
latores quorum numerum non inuenio. Nisi q; apud Eu
sebium de pręparatione euangelica libro nono ex Eupole
mi verbis legimus: eorum octuaginta milia Salomoni missos a
Vaphre / Aegiptiorum /& totidem ab Iramo Tyriorũ re
ge: quem Hyram sacrę litterę vocant iij regum v. Aurũ ve
ro in colũmis/parietibus/ac vasis templi consumptum Bu
deus de asse & partibus eius computat/ex eiusdem Eupole
mi verbis / ad ducenties quadragies octies cẽtena milia /au
reorum: auri tantum obryri. Vbi etiam argenti & ęris cen-
tenariorum inestimabilem inuenies uumerum. Et Luter
nobis inuidebit vnum aut alterum artificem/ad diuinę mis
sę Ornatum deseruire?

Luter

Transierint itaq; ista/ & ad huc transeant / reuelante euangelio abhominationes tantas/ donec penitus aboleantur.

Emser

Quin transeat potius/ & aboleatur maledictum hoc Luteri euangelium: quo abhominationes missę nostrę (quę nullę sunt) reuelare se iactat: vt suas interim abscondat longe abhominabiliores: qui missam hic iterū sacrificiū aut opus bonum esse negat: palamq; testatur eam non vt sacrificium sed vt testamentum siue quocunq; alio nomine se apprehēsurum. Age igitur excutiamus hic egregiam ipsius missandi formulam: & experiamur si forte abhominationes istas tantas in suū ipsi⁹ caput / veluti carbones ardentes / regerere poterimus.

Luter

Primo introitus dominicales & in festis Christi probam⁹ ac seruamus: Quanq; psalmos mallemus vnde sumpti sunt vt olim. Apostolorum vero/ Virginis ac sanctorū introitus/ si qui seruare volent non improbam⁹. Nos VVittenberge omnium sanctoꝝ festa abroganda quęremus et c.

Emser

Ecquid mirum / vt qui prius imagines/ altaria / & ecclesias sanctorum damnarit: nūc etiam missas ac festiuitates eoꝝ abijciat: q̄ citi⁹ omnē sanctoꝝ memoriā e medio tollat?

Est autem hęc prima huius formulę abhominatio: festiuitates & memorias sanctorum abrogare. Nostra. n. catholica ecclesia ex precepto apostoli Ro. xij memorijs sanctorum communicare didicit: Nam ꝙ textus noster ibidē habet/ necessitatibus sanctorum communicantes: in antiquis exemplaribus non necessitatib⁹/ sed memorijs sanctoꝝ reperitur. Testes sunt Hieronymus/ Ambrosius/ Origenes & Hilarius in eundem Pauli locū. Quid igitur Lutero hic respondebimus: nisi id quod Hilarius ad Constantiū Augustū Iconoclasten scripsit. Apostolus (inquit) communicare nos sanctoꝝ memorijs docuit: tu eas dānare coegisti.

Memorijs sctorum [illegible]

Luter
Festa. S. Crucis anathema sunto.
Emser
En alia huius formulę abhominatio. Apostolus nos gloriari iubet in cruce domini nostri Ihesu Christi. Iste contra/dum festa crucis anathemathizat/gloriam crucis euacuat & signum dei viui extinguere nititur. In hoc quidem cū diabolo communicans/ꝙ vterqꝫ crucē Christi hostiliter odit: in illo vero longe peior ꝙ diabolus signum crucifixi fugit Luter etiam fugat & ęliminat: ita vt etiam morientes ab eo dehortetur: quo facilior diabolo ad illos accessus pateat.
Luter
Secundo Kyrie eleison vt hactenus celebratū est amplectimur cū sequēti hymno angelico Gloria in excelsis. Tamē in arbitrio Episcopi stabit quoties illum omitti voluerit.
Emser
Ecclesiastica regula tenet/vt quoties in matutinis dicimus Te deum laudamus: toties in missa hymnus ille non omittatur: in reliquis non dicatur regulariter. Quare hęc Luteri formula/quę in arbitrio hoc ponit Episcopi: ecclesiasticum turbat ordinem: & abhominabilem in se continet errorem. Aut enim de Episcopo loquitur pontifice: aut more suo de quolibet curato: Si de pontifice: minor est Luterus q̄ꝫ ꝙ illis legē prescribere possit. Si de quolibet curato: hęretice illos episcopos vocat: contra communem totiꝰ ecclesię vsum a spiritu sancto in concilio generali adprobatum de quo vide Ambrosium in epistolam ad Ephesios capite quarto. super hęc verba pauli Et ipse dedit quosdam quidem apostolos et c. Nec nominis ratio quadrat. Quamuis enim etiam curatus in parochia sua intendere habeat subditorum suorum saluti: Episcopus tamen quia supra multas parochias constitutus est /iure ep̄s hoc est supra intendens/ seu speculator dicitur.

Luter

Tertio sequens oratio seu collecta modo sit pia (vt fere sūt quę dominicis dieb⁹ habent) perseueret ritu suo. Sed ea dūtaxat vnica.

Emser

Cum ex concilio Africano octauo: cui beatus Augustinus interfuit: collectarum ordo & numerus pręscriptus / diffinitumq̈ʒ sit / ne passim ab omnibus recipiantur: nisi per Romanum pontificem aut concilium generale adprobatę fuerint: Stulte nimis priuignus ille / siue Basthardus (vt vocant) Augustini / patrem suum post tot sęcula corrigit: aut aliam nobis collectarum legem statuit / q̄ʒ vniuersalis ecclesia / tam ex prefati concilij q̄ʒ ex Gelasij / Gregorij / ac Innocentij Romanorum pontificum institutis obseruat.

Luter

Post hanc lectio epistolę. Et infra. Raro tamē eę partes ex epistolis Pauli leguntur: in quibus fides docetur: sed potissimum morales & exhortatorię. Vt ordinator ille epistolarum videatur fuisse insigniter indoctus & supersticiosus opm ponderator. Idem certe in euangelijs spectauit sępi⁹.

Emser

Quin potius formulator iste insigniter insulsus & maliciosus operū irrisor est: qui nihil omnino ponderat quid scribat: dummodo multos ac nouos semper libros veluti noua Aphricę monstra in lucem ędat. Nam si vsq̄ʒ pensi haberet: quid scriberet: ista non scriberet. Quamuis enim in exordio nascentis ecclesię: vbi fides annunciabatur infidelibus: expediebat forte eos legere tomos: qui fidem commēdarent infidelib⁹. Nobis tamen: quib⁹ iam fides Christi recepta: & a cunabulis imbibita est: nihil aliud restat: q̄ʒ vt per bona opera satagamus vocationem nostram (vt petrus ait) facere certam. Quare docte ac pie ordinator ille (quisquis tandem fuerit) & temporum & auditorum rationem ponderans: tam ex epistolis q̄ʒ euangelijs ea potissimū delegit/quib⁹ mores Christiano dignos & opera bona no bis inculcaret. Luter

Quarto Graduale duorꝶ versuum simul cum alleluia / vel vtrum/iuxta arbitrium episcopi cantetur.

Emser

Hic iterum in arbitrium ponit vtrum Graduale cum alleluia simul/an alterum sine altero cani libeat. At paulo infra dicit alleluia perpetuam esse vocem ecclesię: ita vt nec in quadragesima / nec in maiori hebdomoda aut bona sexta feria omittendum sit. Adeo sibi constat formulator iste nouę missandi formulę.

Luter

Porro Gradualia quadragesimalia & similia: quę duos versus excedunt/cantet quisqnis volet in domo sua: In ecclesia nolumus tedio extingui spiritum fidelium.

Emser

Extingui nūc timet spiritum tedio: si integer psalmus vel semel in anno ad missam decanteť. At supra / vbi de introitu agebat (qui cotidie dicitur: et ob eandem causam in duos tantum versus a Gregorio coactus ē) mallemus/inquit/ psalmos vnde sumpti sunt. Quid hoc vertumno vertibilius? quid eius forma difformius?

Luter

Sed nec ipsam quadragesimam/siue maiorem hebdomadā aut sextam feriam pœnosam aliȷs ritibus ostentare decet ꝗ̄ alias quascunqꝫ. Emser

Sapientior hic homo est ipsa sapientia. Quę cum tempora rerum distinguat: & omnia tempus suum habere prędicet: Solus iste formularium suum non solū sine temporis verum etiam sine cerebri ratione consarcinat. Parum aūt religiosus alio tempore monstratur (vt Leo papa inquit) qui in his diebus non religiosior inuenitur. Quid enim acceptius hoc tempore? quid salubrius his diebus? in quibus bellum indicitur vicijs: & omnium virtutum profectus au getus. Hec Leo. Luter

Quinto sequentias & prosas nullas admittimus / nisi episcopo placuerit breuis illa in natiuitate Christi. Gra tes nūc omnes. Neqꝫ ferme sunt / quę spiritum redoleant: nisi illę de spiritu sancto. Emser

Et quid nam aliud sunt prosę istę seu sequentię nisi diuinę laudes? Ergo non redolet Luteri spiritui laus dei & sanctorum eiꝰ? Non redolet illi / Victime pascali laudes immolent Christiani. Non redolet ei Summi triumphum regis prosequamur laude. Non lauda Syon Saluatorem: Nec / Aue pręclara: Nec Verbum bonum & suaue: Quia in verbo tantum lętatur aspero: & omnia verba pręcipitationis diligit lingua illa dolosa.

Luter

Sexto sequitur euangelij lęctio: Vbi nec candelas neqꝫ thurificationē prohibemus. Sed nec exigimꝰ. Esto hoc liberū.

Emser

Nec ecclesia quotidie / ista exigit / nec a quouis. ministro In missis tamē illis solēnibꝰ: & pcipue vbi pōtifex celebrat: necessario ea adhibenda sanctus pater Dionysius in ecclesiastica sua ierarchia tradidit: & vniuersalis ecclesia religenter obseruat. Quemadmodum & illud ꝙ ad sinistrū cornu altaris legendum euangelium: & ꝙ stando & aperto capite a cunctis reuerenter audiendum sit. Nam vt Luteri euangelium / ab omnibus execrandum: Ita Christi euangeliū omni honore prosequendum ac venerandum est.

Luter

Septimo symbolum nicenum cantari solitum non displicet: Et infra. Sed tñ liberos nos ratio ista non ligat: presertim ꝙ omnia quę vsqꝫ ad symbolum in missa fiunt: nostra sunt & libera: a deo non exacta: quare nec ad missam necessario pertinent. Emser

Supra quędam eorum quę symbolum antecedunt non solum Laudabilia/verum etiam necessaria esse retulit. Nūc nihil eorū necessario ad missam pertinere / aut a deo exigi contendit. Ego vero a deo exigi non dubitarim/quicquid ab ecclesia/& spiritu sancto pie ordinatum est. Qualia sunt omnia quę symbolum in missa precedunt. Cum talia sint/ ipsius etiam Luteri testimonio / quę reprehendi non possint. Diuinum igitur ordinem turbat: & deum grauiter offendit qui quicq̄ eorū per contemptū negligit aut omittit. Non ignoro tamen apud veteres Missam cathecumenorū hanc dici: quicquid vsq̄ ad symbolum in missa peragitur. Veramq̄ missam tunc primum in choare: cum dicto symbolo ad offerendam sacerdos se preparat. Vnde beatus Augustinus. Si diligenter (inquit) fratres attenditis: cognoscetis quia missa non tunc est / quando diuinę lectiones in ecclesia recitantur: sed quando munera offeruntur: & corpus ac sanguis domini consecrantur.

Hinc etiam Isidoro / ac Remigio dicta est Missa / a mittendo / hoc est extramittendo: quia tunc cum vera missa incipit: emittendi ac expellendi. sunt cathecumeni & energumeni. Quibus ex concilio Carthaginensi iunguntur Pagani/ Iudei/ hęretici / schismatici / & tota hęc execratorum hominum colluuies.

Luter

Octauo sequitur tota illa abhominatio: cui seruire coactū est quicquid in missa precessit: Vnde & offertorium vocatur. Ac abhinc omnia fere sonant ac olent oblationem.

Emser

Non abhominatio / sed diuinus ordo est (vt Innocentius ait de sacro altaris mysterio) vt post euangelij annuntiationem fides sequatur in corde / laus in ore / & fructus in bono opere. Fides in symbolo / laus in offertorio: & fructus in oblatione: secundum quod scriptū est hilarem datorem

E

deus diligit.

Offertorium igitur nomen habet ab offerendo: quod dum cantat / sacerdos oblationem recipit a populo: vt tanq̄ mediator inter deum & illos / vota & preces omnium offerat. Nec recens inuentum aut auaricię sacerdotalis commētum est: cum ex vetere lege / & Laudabili populi deuotione trahat originem. Sic .n. ij. paralipomen legimus. Obtulit ergo vniuersa multitudo hostias & laudes & holocausta mēte deuota. Cumq̄ offerrentur holocausta: cęperunt laudes canere domino: & clangere tubis: atq̄ in diuersis organis (quę Dauid rex Israhel reppererat) concrepare.

Neq̄ Christus oblatiōes has fidelium improbauit: sed modum ostendit: quo gratior deo fieret vniuscuiusq̄ oblatio: Si se prius scilicet cum fratre (quo cū negocium illi foret) reconciliaret. Cum offers (inquit) munus tuum ad altare: & ibi recordatus fueris quia frater tu⁹ habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ad altare: & vade reconciliari prius fratri tuo: & tunc veniēs offeres munus tuum. Vbi notandum q̄ semel allatum ad altare munus non inde retrahendum: sed ibidem relinquendum est / donec pacato fratris animo redeas: Et tunc veniens (inquit) offeres munus tuum.

Quid igitur Sycophanta noster adhuc oblationibus detrahit? aut quid nobis de calumnia Luteri: vbi auctorem veritatis habemus Christum? qui non solum offerendum ad altare docuit: sed per se etiam / & pro se offerri voluit. Et obtulerunt (inquit Lucas) pro eo par turturum: & duos pullos columbarum.

Luter

In quorum medio: verba illa vitę & salutis sic posita sunt: ceu olim arca domini / in templo idolorum iuxta Dagon &c̄. Et infra. Quę parabola est instantis temporis.

Emser

Vtinam autem / vt quemadmodum prophanata tunc arca domini Dagon membratim discerpsit: Ita prophanatum nunc a Lutero missę mysterium / obprobrio eum percutiat saltē tempario: vt vere parabola fiat instantis temporis / q̃ philistęus iste ecclesiam & eius sacra persequitur.

Luter

Proinde omnibus illis repudiatis quę oblatiōem sonant: cum vniuerso canone. retineam⁹ quę pura ac sancta sunt: ac sic missam nostram ordiamur.

Emser

Quę pura ac sancte ordinata sunt conculcans ac reijciens / sanctam se missam nunc demum ordiri promittit. Quid igitur ad hęc dicemus: nisi id quod Ciprianus olim in similem Lutero virum scripsit: in epistola contra hęreticos sic inquiens. Hostis altaris / aduersus sacrificium Christi rebellis: pro fide perfidus: pro religione sacrilegus: seruus necq̃ / filius impius / frater inimicus / contemptis episcopis ac dei sacerdotibus / constituere audet aliud altare / alterā precem / & dominicę hostię veritatem prophanare: nesciens quomodo qui contra ordinationem dei nititur: diuina vltione punitur. Hęc Ciprianus. D. Scriptio [illegible] Cyprianica

Repudiemus igitur & nos omnem sequentem Luteri formulam tanq̃ perfidam & sacrilegam / atq̃ ordinationi ecclesię & spiritus sancti contrariam: retineamusq̃ eam quę ab apostolis & maiorib⁹ nostris plenis spiritu sancto / sancte ac pie nobis tradita est. Neq̃ ego nouam hanc formam eo honore dignabor / vt repetendo ad singula ei responde am. Sed ea tantum loca attingam / in quib⁹ dign⁹ mihi vindice nodus apparuerit. E quibus prima fronte occurrit hoc quod sequitur.

Luter

Nisi q̄ non dum cōstitui mecū miscenda ne sit aqua vino. Ito Cyprianus

Emser

At ecclesia iam ab initio hoc constituit. Nam vt Rabanum ac Paschasium pręteream: qui in eorum libris de sacramento altaris / asserunt ritum hunc miscendę aquę ab apostolis fuisse traditum: Contentus nunc ero vnius Cipriani testimonio: Qui ante annos mille ferme & trecentos hac de re ita scripsit ad Cornelium papam. Si vinum (inquit) tantum quis offerat: sanguis Christi incipit esse sine Christo. Quemadmodum. n. sola farina / absq; aquę mixtura non est panis neq; corpus domini: Ita calix eius / non est aqua sola / aut vinum solum: nisi vtrunq; misceatur: & nisi calicem domini cum vino mixtum secundum q dominus obtulit offeramus. Hęc ille.

Idem Iulius papa primus ad Episcopus Aegypti scripsit: de consecratione distinctione secunda canone Cum omne crimen. Idem etiam tota Aphrica in concilio Carthaginen̄ quarto censuit eadem distinctione canone In sacramento. Ex quo Luteri mendacium apparet q̄ infra dicit satis hanc pugnam olim / stultam vt ille vocat ecclesiam Romanam cum gręca decertasse: tanq; sola Roma hoc inuenisset. Nō n. solum Romę / sed in Egypto / Asia / Aphrica & Europa & per totum orbem Christianum hic ritus miscendę aquę cum vino obseruatus est: quem & Theophilus gręcus auctor adprobat.

Luter

Quanq̄ huc inclino / vt merum potiꝰ vinum paretur absq; aquę mixtura: q significatio male me habeat: quam Esaias ponit. Vinum tuum (inquit) mixtum aqua. Merum. n. vinum pulchre figurat puritatem doctrinę euangelicę.

Emser

Non immerito Luterum male habet hęc Esaię auctoritas. De hęreticis enim & sui similibus scripta est: qui purum euangelicę doctrinę vinum falsorum suorum dogmatum aqua miscent & adulterāt: testibꝰ Hieronymo & Ambrosio.

Inepte autem & sophistice Luter hic Esaię vinum cum altaris vino comparat: & quod de altero dicitur ad alterum torquere nititur. Esto enim q̄ vinum doctrinę euangelicę (quod Esaię non est verum vinum: sed per allegoriam vino comparatum) non sit miscendum hereticę prauitatis aqua: quę pariter non est vera aqua: sed per aquam figurata: Quia tamen in sacramento altaris nō de euangelicę doctrine expositione: sed de corporis ac sanguinis consecratione agitur: Iccirco non sequitur / q̄ propterea etiam vinum verum ac naturale (quod altari imponitur & in sanguinem domini verum ac naturalem conuertitur) non sit miscenda aqua vera / quę de latere Christi / pariter cum sanguine vere emanauit. Fallacia enim hęc est ęquiuocatiōis: qua fallax hereticus lectorem implicare nititur.

Luter

Deinde q̄ pro nobis non est fusus nisi solus sanguis Christi impermixtus nostro: Vt non stet illorum somnium / q dicunt ibi figurari vnionem nostri cum Christo: Cuius vnionis memoriam hic non facimus: nec sumus vniti ante eius fusionem: alioqui simul noster quoq; sanguis cū sanguine Christi fusus celebrabitur.

Emser

Recte Luter colligeret / si hi qui dicūt (& recte quidem) p mixturam aquę cum vino / vnionem significari nostri cum Christo: de vnione loquerentur naturali: Nunc vero cū de mystica tantum intelligant: qua Christus caput nostrū mysticum: in cruce sibi vniuit mysticum ecclesie corpus: Nam cum exaltatus / inquit / fuero: omnia ad me traham: Stulta est Luteri ratiocinatio nec sequitur / propter vnionem hanc mysticam / verum etiam sanguinem nostrum / cum Christi sanguine fuisse fusum. Statq; firma catholicorum patrum sententia / per vnionem videlicet aquę cum vino in calice / vnionem significari nostri cum Christo: in

cruce factam/ dum in signum eius rei ex sacro ipsius pecto
re sanguis & aqua pariter defluxerunt. Multę enim aquę
multi sunt populi: scriptura teste: cui potius innitendum
est q̄ sophisticis his Luteri nugis: quibus dissidium quę-
rit cum ecclesia. Neq; enim alia de causa huc inclinat: q̄ ꝙ
obiectū est illi a Serenissimo Anglorum rege: Cum nih-
il nisi quod in euangelio expressum sit/ admittere velit:
Vnde ergo aquam cum vino in calice misceat: quod vtiq;
non ex euangelio sed ecclesiastica traditione didicerit. Ad
effugiendum igigitur hunc laqueum Luter uunc huc in-
clinat: vt mixturam aquę neget: Verum q̄ frigide Lecto-
ris testor Iudicium.

Contempta igitur tota illa Luteri formula / tanq̄ apostoli
cę traditioni/& ecclesiasticę obseruationi/quin ipsius etiam
Christi missę dissona (cum multa in ea non a Christi sed
ab ecclesię ritu mutuarit) ad finem ipsius properemus: vbi
in hunc modum tandem perorat.

Luter

Sic de missa sentimus. In quibus omnibus cauendum / ne
legem ex libertate faciamus.

Emser

Tota hac coronide/aliud nihil agit Luterus q̄ vt nihil no-
bis certi in missa relinquat: dum hanc vnicam eiꝰ formam
esse contendit: vt nullam omnino habeat certā formā aut
legem: sed pro cuiusq; libidine tanq̄ nasus cęreus noua sp
figura permutetur. Sic autem missam formando: plus illi
nunc nocet / q̄ prius abrogando. Quale enim chaos ex ea
futurum sit (hac data licentia) nemo sanus non intelligit.
Confirmat tamen errorem suum Luterus sic colligens.
Quamuis enim (inquit) externis his ritibus carere non
possumus: sicut nec cibo & potu. Non tamen in eis est ius-
ticia: nec deo nos commendant: sicut etiam non est regnū
dei esca & potus. Quare illud Pauli (inquit) hic regnet:

diuersiq; diuerso ritu vtantur. & vnusquisq; sensu suo habundet &c. Hec Luterus.

Verum omnino futilis & sophistica est hęc etiam Luteri ratio: Alia est enim esca & alius potus de quibus paulus ibidem loquitur: & alius corporis & sanguinis domini cibus ac potus: quem si quis in vnitate ecclesię digne manducat & bibit: non solum ipsum deo comendat: sed etiam vnit & incorporat: ita vt regnum dei iam intra se habeat. Panis enim vitę ęternę est: & calix domini inebrians.

In vnitate autem dixi ecclesię ad excludendum hoc ꝙ Luter dicit vt vnisquisq; sensu suo habundet. Quia & si Paulus totis aliquando prouincijs / hanc licentiam (in his quę non sunt fidei) indulserit: Non tamen cuilibet fatuo permisit / vt secundnm sensum suum reprobum etiam ea quę bene iam se habent / interturbet: aut iterum atq; iterum reprobet. Quemadmodum Luterus VVittenbergę nunc septies Missę formam immutauit: vt a fide dignis nobis dicitur. Ita vt recte in eum quadret illud ecclesiastici. xxvij. Stultus vt luna mutatur.

Luter

Vestes preteriuimus. Sed de his vt de alijs ritibus sentim⁹ permittimus illis vti libere: modo pompa & luxus absit.

Emser

Tandem etiam cum vestibus in gratiam redit: & libere illas permittit: quas prius non solum irrisit: verũ etiã prorsus abiecit: Vt videre licet tam in ipso / q̄ in sacerdotibus suis / qui rem diuinam in habitu faciunt prophano: & cum ex suggesto detonant: haud facile dixeris vtrum sacerdotem / an preconem aut lictorem aliquem videris /

Pompam vero ac luxum / sacrarum vestium ornatum vocat: quẽadmodum Iudas vngentum / quod in Christi corpus effundebatur / perditionem esse dicebat. Cęterum domum domini non solum sanctitudo decet: sed & magnifi-

centia. Sicut scriptum est. Sanctimonia & magnificentia in conspectu eius psalmo nonagesimoquinto. Hinc etiam amictus Aarō / qui figurā tantū preseferebat futuri ac regalis sacerdocij: nō solū ex omni ope plūmatili & phrygio / byssi scilicet / & cocci / & purpurę & id genus elaboratus fuit: verū etiā auro / argento & gemmis p̄ciosis diriguit.
Preciosissimi etiam byssi collobio Apostolus Iacobus Hierosolymorum Episcopus indutus erat / dum sacra faceret: Quod Eufrasinus episcop⁹ Pamhilię beato Syluestro postea donodedit / vt ex historia eiusdem Syluestri adnotauimus. Tale autem fuisse arbritror quale nunc est quod rocketum italice vocant. Quidā dalmaticas inde ortas asserūt.

Luter

Neq̧ enim magis places si in vestib⁹ benedixeris: Nec minus places si sine vestibus benedixeris.

Emser

Falsum & hoc esse arbitror. Nam posteaq̄ vestes illę sacerdotales ab ipso deo primū in lege vetere edoctę / ac deinde ex disciplina spiritus sancti ab ecclesia receptę sunt: sancitumq̧ per sacros canones ne quis sine illis celebret: non puto iam liberum esse cuiuis / nec sine peccato posse eas pretermittere. Nam quamuis ipsę per se solę vestes te non commendent: commendat tamen obedientia quam deo debes & ecclesię. Nam qui ecclesiam non audierit (inquit Christus) tanq̄ ethnicus tibi sit ac publicanus.
Sed & significatio ipsa vestium occulta ac mystica / aliquid in se continet vnde placere possis deo: mundiciam videlicet sacerdotis interiorem: ac dominicę passionis memoriā: vt Innocentius & alij: qui de sacro altaris mysterio scriptitarunt: vestes illas tam per allegoriam q̄ per tropum interpretati sunt.

Luter

Sed nec eas consecrari velim aut benedici velut sacrum ali-

quod futurę sint pre cęteris vestibus. Alioqui mera super-
sticio & impietas est: per abhominationis pontifices intro-
ducta: sicut & alia.

Emser

Senserunt ethnici sacrum fuisse aurum Tolosanum. Sen-
sit & Balthazar rex sacra fuisse domino vasa: quę ille com-
potando prophanarat. Apostolorum etiā sudaria ac semi-
cinctia infirmos curabāt. Nos quoq; hoc ęuo nostro Mis-
nę olim vidimus mulierem quandam arrepticiā: e qua cū
dęmon nulla arte expelli posset: planeta seu casula tandem
diui Bennonis induta fuit: moxq; ille euanuit. Et luter ne
gat sacerdotales vestes pontificum manibus consecratas /
vel sacras vel aliis vestibus esse prestantiores.

Verum iniuriolam hanc non solum nostris episcopis sed
& patri suo Augustino tanq; filius degener irrogat: Qui
in psalmum. Cxiij scribens vestimenta hęc per pontifices
consecrata sancta vocat: non q eis supplicem9: sed q in eis
ac p ea (vt ille inquit) deo supplicam9. Origenes quoq; sup le
uitico: Inuenimus (inqt) & vasa ministerij sancta vocitata:
& vestimēta sancta dici ac loca &c. Sed quid hominum tes
timonijs nitimur: cū mandatum dei hoc sit: Ne facias (in-
quit) in eis opus vllum: quia dño sanctificata sunt. Vnde e
tiam religio fuit militib9 / sacerdotalem ac in consutilem il-
lam dñi tunicā scindere. Maiorq; pietas erga sacras vestes
inuenta est in milite crucifixore: q in monacho pietatis p
fessore.

Sed hęc de missa modo sufficiant. Nam appendix illa de
communione populari sub vtraq; specie alia causa est. Nec
nostri nunc instituti fuit / nisi de missa cū Lutero congredi.
Nec etiam noua est hęc eius de vtraq; specie cantilena: nisi
q hic aliquanto impudentius cantillat. Quid enim impu-
dentius / aut tam manifestū leuissimi ei9 animi argumentū
q q antea ęditis de hac re libris / tanq; pulchrum ac optimū

laudarit: quinetiam optarit vt a concilio q̄piam vtraq₃ spe-
cies instauret? Nunc vero mutato rostro vocem strangu-
lans diuersum omnio occinit. Quin amplius (inquit) dici
mus: si quo casu concilium id statueret ac p̄mitteret: tunc
minime omnium nos velle vtraq₃ specie potiri. Imo tunc
primum in despectū tam cōcilij q̄₃ statuti sui vellem⁹ aut v
tra: aut neutra ac nequaquam vtraq₃ potiri.

Emser

Obsecro quid hac voce crudelius: quid ve iniquius: Si .n.
illi liceat p contemptum altera tantū specie vti: Cur eccl'ię
hoc non liceat p conciliū in spiritu sancto congregatum?
Sed excutiam⁹ / tanq̄ auctariū aliquod / & hanc Luteri ab-
hominatiōē. Turpe est inq̄t fidere poti⁹ verbis hoīm / q̄₃ e-
uangelio & verbis dei. Vbi .n. iam nosti (inq̄t) Christum
in euangelio vtranq₃ speciem instituisse: nec tamen sume-
re audes / nisi hoīes in concilio id denuo statuant: nonne
iam Chr̄o diffidis? At quanta est ista abhominatio ac nega
tio dei altissimi? Hactenus Luter.

Tragicum q̄d ista sonant: cum tamen reuera non sunt nisi
nugę ac strophę hereticę / quę veluti ficulna folia ip̄o crepi-
tu suo euanescunt. Ostendat .n. nobis prius Luter / vbi nā
Christus in euangelio (excepta missa sua in qua & sacerdo
tem egit; & sacerdotes dumtaxat comunicauit) vtrāq₃ spe-
ciem aut instituerit aut ip̄o facto porrexerit. Ego autem il
li ostendam vbi alteram tantū pręstitit / maxime populari-
bus: vt duob⁹ illis peregrinis euntibus in Emaus / & alijs
Stat igitur euangeliū p̄ nobis: Stat & p̄ concilio illo Con-
stantiensi: quod dum Luter despicit euangeliū despicit /
quin Chr̄m ipsum negat: & in eandem incidit abhomina-
tionis ac negationis dei altissimi foueā / quā alijs parauerat.
Verū vt predixi / non est huius loci neq₃ tēpis de comu-
nione cum Lutero decertare. Et sufficere possunt Christi
augmenti ea quę vel inuictissim⁹ Rex Anglię / vel Reuerē

dus in Chr̃o pater Episcopus Roffensis: Ex Germanis vero Clarissim⁹ Doctor Ioannes Fabri aut disertissimus Theologię ꝓfessor Ioannes Cochlęus in hoc casu responderunt: Et Reuerend⁹ pr̃ Andreas Cricius Ep̃s Premisliensis nunc etiam cõtra Luterũ adornat. Ego vero ad cõfutandem execrabilẽ Vldrici Zuinglij epichiresim me paro: vbi iã dudum est anim⁹: vt nutantẽ vndiqꝫ sanctuarij compagem/ ꝓ virili/ & scd'm datam mihi a deo mensuram/ stabiliam. Vbi etiam si quid de missa amplius desiderat/ Lector inueniet.

Habes itaqꝫ Nicolae charissime/ & breui qdem compẽdio/ tam Luteri nouã missandi formulam/ q̃ꝫ veteris & eccl'iasticę Missę assertionẽ. Quę qdem tam sancta ac ꝓuida ordinatione instituta cernit: vt ea quę p Chr̃m gesta sunt: ex quo de cœlo descendit: donec iteꝝ illuc descendit / magna ex pte contineat: nec verbis tm̃: sed & signis & vestib⁹ ac ritibus mysticis p̃seferat. In qua etiã omnia diuinis plena sunt mysterijs & cęlesti dulcedine pijs mentib⁹ redundãt. Tui igitur nũc officij fuerit cum eccl'ia/ & tecũ ipso solide consistere: nec omni vento doctrinę circũferri. Atqꝫ eo magis ꝙ a paulo didicerꝫ vitandum esse omnem fratrem qui publicum turbat ordinem: & traditiones senioꝝ contemnit.

Quod si vel veteris amici cõsilio admonit⁹: vel rei ipsi⁹ manifesta veritate cõpulsus: Lutero ac eius formulę valedixeris/ teqꝫ eccl'ię (vt viꝝ decet catholicum) integrũ seruaueris: Tunc demũ ego te dignum iudicabo/ q̃ ex parocho aliqñ fias ep̃s: & in minimo fidelis: supra multa constituare Quin tunc etiã colophonẽ hunc Luteri addam: Ora ꝓ me vir sanct⁹ dei: Alioq̃ nec mihi sanctitatẽ illam tuã/ nec orationes optauerim: q̃diu extra vnitateꝫ catholicę fiunt eccl'ię. Id quod ꝓ libertate nr̃a Christiana libere & ingenue a me dictum boni consule / ac Vale / ex Dresda nr̃a Misnię pridie Kalendas Martias Anno a Christo nato.

M. D. XXiiii. F ij

Errata prełi.

B i tam insigniter sit menitus. lege mentitus.

B iij a tergo q̃ mente cōspiciunt dn̄i. lege dominū.

C i idolatros. lege idolatras vel si mauis idolatras.

C i a tergo/ cuius mutandę non cuius. lege non cuiuis.

D ij auri tantum obryri. lege obryzi.

D iiij a tergo augetus. lege augetur.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[Emser, Hieronymus]



Missae christianorum Contra Luteranam missandi formulam Assertio

Anno M D xxIIII